

in *us. modern. Pandect.* lib. 4, tit. 6, § 1, Wames. *Consil. canon.* 545, num. 6, Sarmien. lib. 1, *select. Interpret. c.* 5, n. 5, optime Marend. *controvers. jur.* lib. 24, c. 5, num. 20. Pax Jordan. *Elucubrat.* tom. 2, lib. 10, tit. 18, n. 46. Cocceius, *Jur. Controvers.* lib. 1, tom. 6, qu. 10. Peregrin. *de Fideicommiss.* art. 24, num. 50. Fusar. *de Substitut.* quæst. 409, num. 10. Garz. *de Benefic.* part. 7, c. 2, num. 36. Rot. in recent. decisis. 100, num. 51, part. 5, tom. 1.

(148. Non obstat allegata ab Auctore Lex Nuper, *Cod. de Natural. liber.*, ubi in fine habetur, quod in quæstionibus de statu liberorum, non conceptionis, sed nativitatis tempus, si iis sit favorabile, attendi debeat. « Non obstat (ait ex proxime allegatis Zoes. in *Codic.* lib. 5, tit. 17, quæst. 5), quia quum dicat inspiciendam esse qualitatem, quæ est tempore nativitatis, si ea sit Proli favorabilior non est accipienda de qualitate ex delicto complexus, sed ea quæ causatur ex instrumentis dotalibus confectis vel ante nativitatem, vel postea, cui subjungitur supra dicta decisio, ut ne utiquam sit dicenda respicere qualitatem conjunctionis damnatæ, quæ uti dictum non purgatur per nativitatem Proles eo tempore, quo conjuges esse possunt. Nam alias Imperator sibi contradiceret in dict. l. Nuper, in cujus principio ad legitimationem desiderat, ut ea in contubernio habeatur, cum qua connubium esse poterat, quæ res respicit omnino copulam, quomodo si ea damnata fuerit non procedat legitimatione, utpote deficiente uno ex requisitis. »

(149. Posita hac sententia, hoc venire solet in quæstionem, an locum habeat legitimatione per subsequens Matrimonium si a morte primæ uxoris ad nativitatem Proles effluxerint dies 182, in quibus concipi ea, et nasci potuit; l. 12, ff. *de stat. Homin.* et l. 3, § 12, ff. *de suis et legitim. Hæred.* et sic concurrerit habitas ad matrimonium utroque tempore conceptionis et nativitatis?

(150. Porro negari haud potest, quod non obstante discordia Philosophorum, et Medicorum prævaluit in jure opinio Hippocratis, qui in lib. *de Partu septimestri* (ab Eruditis apocrypho existimato teste Fabroto in *Exercit. de tempor. Human. Part.* pag. mihi 14), scripsit septimo mense incepto, id est diebus 182, hominem nasci posse, ut videre est in dict. l. 12, ff. *de stat. Homin.* et in dict. l. 3, § 12, ff. *de suis et legitim. Hæred.* At ponderandum est, quod in jure nostro non aliter opinio hæc Hippocratis admissa sit, quam si is, de quo agitur, ex justo præterea Matrimonio natus sit, ut satis eruitur ex ipsa l. 12, ff. *de stat. Homin.* et innuunt Noodt in *Comment. ad Pandect.* l. 1, tit. 6, § Superest, ac Boemer. in *Exerc. in Pandect.* t. 1, exerc. 20, § 12. Ita scilicet favore Matrimonii prudenti consilio statutum fuit, ad amputandas dissensiones, quæ perpetuo inter conjuges duraturæ essent, si Partus septimo mense a die contractus Matrimonii editus alii quam viro attribueretur. Quapropter non est, cur nativitas tempore septimestri, quæ per naturam non est semper certa, et in jure

unice admissa est in gratiam eorum, qui ex Matrimonio geniti sunt, extendatur ad eum, qui extra Matrimonium natus est.

(151. Neque id novum in jure est. Favore quoque ejusdem Matrimonii receptum est, ut qui partus nascitur Marito eum uxore cohabitante, nec manifesta impotentia præpedito, is attribuaturs ipsi Marito, quantumvis Uxor sui copiam aliis fecerit, ad vulgatissimum Textum in l. Miles 11, § *Quæ propter*, ff. ad l. *Jul. de Adult.* At si extra Matrimonium genitus quis sit ex Muliere, quæ cum pluribus commercium habuit, quum casset favor Matrimonii, nec ei partus adscribi valet quem Mulier Patrem designavit, ut cum eodem postea Matrimonium contraxerit.

(152. Gravior est quæstio, an ex dispensatione in radice Matrimonii obtenta, post contractum ipsum Matrimonium legitimetur ad omnes effectus Proles antea nata, perinde ac si ex justo Matrimonio nata esset?

(153. Invaluit distinctio, quod aut impedimentum in Parentibus ad ineundum Matrimonium erat juris divini, et dicta dispensatio in radice Matrimonii efficere nequit, ut filii nati perinde legitimentur ac si ex justis nuptiis nati essent, sed vix eis tribuit legitimationem, quæ dicitur per *rescriptum*, quum nequeat Summus Pontifex dispensando tollere nullitatem Matrimonii a jure divino inductam. Aut vero impedimentum erat juris Ecclesiastici, rursus distinguendum est, quod videlicet si Matrimonium nec de facto præcessit, dispensatio in radice Matrimonii operatur, ut in casu præcedenti, legitimationem Filiorum natorum per *rescriptum*, idque quia ubi nullum præcessit Matrimonium, non est radix in qua dispensetur. Sin autem de facto præcessit Matrimonium, quantumvis irritum ex dicto juris Ecclesiastici impedimento, dubium nullum esse potest, quia attempta summa, qua Summus Pontifex pollet, potestate tollendi legem Ecclesiasticam quoad omnes effectus non solum incurrendos sed et incursum, dispensatio in radice Matrimonii vim habeat plenissime legitimandi Filios natos, eodem prorsus modo ac si ex legitimo Matrimonio nati essent; Molin. *de Primogenit. Hispan.* lib. 3, cap. 2, num. 2. Fajard. *de Legitim.* per *subseq. Matrim.* Torre, *de Majorat. Ital.* tom. 1, cap. 29, § 4, numer. 28, de plur. seq. De Justis, *de dispensat. Matrimon.* lib. 1, cap. 7.

(154. Nec admitti potest opinio Auctoris, n. 44, quod Legitimati per subsequens Matrimonium veniant sub dispositione Hominis directa ad *Legitime natos*. Quum enim in his terminis qualitas legitimatis tanquam proprie, et vere requisita tempore nativitatis, prædicari nequeat de Legitimatis per subsequens Matrimonium, qui non nisi per quamdam juris fictionem habentur pro legitimis usque ab initio; hinc est quod legitimati per subsequens Matrimonium venire nequeunt sub dicta dispositione ad legitime natos directa; Marend. *Controv. jur.* lib. 17, cap. 22, num. 18, et rursus lib. 24, c. 5, num. 34. Peregrin. *de Fideicom.* art. 24, a n. 25 ad

plur. seq. Fajard. *de Legitim. per subsequens Matrim.* memb. 4, n. 337. Torr. *de Majorat. Ital.* tom. 1, cap. 29, § 9, a num. 95 ad seq. Rot. in Romana Immissionis 21 Junii 1726, § *Recedere*, coram bon. mem. Crispol. et in Romana Salviani 8 Maii 1728, § *Ut igitur* cor. clar. mem. Calcagnin.

(155. Legitimati per subsequens Matrimonium quoad omnes juris effectus exæquati sunt vere legitimis in his quæ proveniunt, vel a providentia ipsius Legis, vel ab Hominis dispositione Legi tamen conformi, nequaquam vero in his quæ dependent a dispositione Hominis, quæ a Lege recedendo unice ad vere legitimis directa est, quum in his prout in aliis materiis dispositio Hominis faciat cessare dispositionem Legis, ut ex mox allegatis optime præ cæteris disserit Rot. in Romana Immissionis 21 Jun. 1726, § *Siquidem*, et plur. seq. cor. bon. mem. Crispolto.

(156. Non incongrue hic quæritur, an quæ a statutis proveniunt, attribui debeant Legis providentiæ, ita ut ad ea indiscriminatum admittendi sint Legitimati per subsequens Matrimonium?

(157. Si sermo sit de statutis conditis a Communitate, sive Ecclesiastica, sive Laicali superiorem recognoscente, non Legis sed Hominis providentiæ attribui debent, quæ ab ipsis proveniunt, nam ea nequeunt legibus accenseri, obligantque non uti Leges, sed uti pacta; Huber. in *Prælect. Jur. Roman. et Hodiern.* part. 2, lib. 1, tit. 3, n. 11. Strauch. *ad jus Justin.* dissert. 1, thes. 9. Stryk. *Jurisdic.* dist. 5, disp. 11, cap. 1, a num. 7, ad plur. seq. Ziegler. *de Jurib. majest.* lib. 1, cap. 4, § 16. Atque hinc nequeunt Legitimati per subsequens Matrimonium indiscriminatim admitti ad ea quæ proveniunt a statutis; Eo vel maxime quod Legitimati per subsequens Matrimonium pro vere legitimis habeantur, quoad ea dumtaxat, quæ proveniunt a jure communi; Add. ad Zoes. in *Codic.* lib. 5, tit. 27, l. F. Fajard. *de Legitim. per subsequens Matrim.* memb. 4 num. 302.

FISCUS.

Vide verb. POENA, art. 2, num. 7

FORNICATIO.

Vide verb. LUXURIA, a num. 3 ad 9, et verb. POENA, art. 2, num. 102, 103.

FORTITUDO.

Vide verb. VIRTUS, num. 120.

FORUM, SEU FORUS.

SUMMARIUM.

1. Nomen Fori varias habet significationes. — 2. Forum in neutro genere, unde veniat, et pro quo accipitur? ad num. 3. — 4. Forus in masculino genere quid sit? — 5. ad 6. Forus competens qui sit.

(1) Hæc historia, si vera foret, quæstionem illam perantiquam, et perobscuram solveret de muliere, quam D. Lucas peccatricem appellat. Verum quum de illa nondum liqueat (nec unquam liquebit, ait Ant. Sandini in *Histor. Familiæ Sacræ* cap. x.) hæc

ADDITIONA TENTA NOVISSIMA AUCTORIS.

(158. Quis fuerit filius Viduæ Civitatis Naim a Christo e mortuis revocatus, tradit inter alios eruditissimus Clericatus parte prima delle *Spighe raccolte*, italico idiomate edita, dicens, quod vocabatur *Maternus*, ætatis viginti circiter annorum, dives, et nobilis, lubricam vitam ducens cum Maria Magdalena tunc in dicta Civitate Naim commorante, solo milliario a suo Castro Magdalo distante: « Et erat mulier in Naim molliens virum ex molliæ pestis alliciendo ad libidinem, » ut tradit Victor Antiochenus, relatus ab Alberto Magno cap. vii in *Lucam*. Mortuo, Deo sic disponente, Materno, et a Christo in vitam restituto; is Magdalenam monuit de visis horrendis suppliciiis, quibus torquentur peccatores, ipsam serio exhortans ad poenitentiam de peccatis commissis, et ad omnimodam conversionem, ut et ipse decreverat, et factum jam cæperat. Magdalena, monitis et exhortationibus *Materni* obtemperans, illico penitus contrita convolvit ad pedes Jesu Christi existentis in eadem civitate, et ad mensam accubentis in domo Pharisæi: *Et ecce mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes ejus, lacrymis capit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus et unguento ungebat.* *Luc.* cap. vii, 17. Et exinde uterque ad meliorem frugem vere conversi, fidelissimi sequaces facti sunt Jesu Christi, ut et fecit vidua *Materni* mater facta discipula, et sectatrix *Deiparæ Virginis*, ut notat laudatus Albertus Magnus in cit. cap. vii *Luc.* Tandem post passionem, mortem, Resurrectionem, et Ascensionem Domini Nostri Jesu Christi, a D. Petro Apostolo una cum Eucherio, et Valerio, ordinatus *Maternus* Episcopus, et ad convertendos Tungrenses, Colonienses, et Trevirenses, aliosque finitimos populos missus, sanctissime obiit Trevisis Episcopus, et ejus festum colitur die 14 Septembris (1).

— 7. Reus coram incompetente Judice conventus impune non comparet. — 8. Orta quæstione de competentia Fori inter Judicem Ecclesiasticum, et Laicum, debet cognoscere Ecclesiasticus. — 9. Plurimi sunt modi generaliter loquendo sortiendi Forum. — 10. At modi ordinarii, et speciales sortiendi Forum

ab auctore nostro proposita pura puta fabella credenda est. Alia etiam falsitatis argumenta occurrent, si auctores, qui de S. Materno scripserunt, consulas. (NOTA EX EDIT. ROM.)

sunt quatuor. — 11. ad 14. Primus est ratione delicti. — 15. ad 16. Secundus est ratione contractus. — 17. ad 21. Exceptione. — 22. ad 28. Tertius est ratione domicilii. — 29. ad 30. Quartus est ratione rei, de qua contenditur. — 31. ad 32. Præterea etiam ratione communis Patriæ, vel communis Superioris in Romana Curia. — 33. Fori privilegio quoniam gaudeant? *remissive*. — 34. Per privilegium fori quid intelligitur? — 35. Hoc fori privilegio gaudet Clericus non obstante Irregularitate contracta ob homicidium. — 36. Etiam si Clericus non habeat requisita Sac. Concil. Trid. remittendus est Episcopo illum repetere volenti. — 37. Clericus gaudet privilegio fori quoad Personam, etiam si post delictum, et processum Clericatum assumpserit. — 38. Clericus successor Laici non ligatur instantia inchoata coram Judice Laico. — 39. Clericus provocans fratrem Laicum divisionem convenire debet coram Judice Laico uti Judice Rei conventi. — 40. Clericus laudatus non potest declinare forum Judicis Laici, quando sententia dirigitur contra Laicum laudantem, secus si dirigitur contra Clericum laudatum. — 41. Filius legitimus Clerici ante Clericatum susceptus, gaudet privilegio fori durante vita Patris. — 42. Et licet gaudeat privilegio fori, non ideo est incapax officiorum Communitatis. — 43. Verum filii Clericorum non gaudent privilegio fori post mortem Patris. — 44. Filius Clerici Græci, quatenus sit legitimus, vivente Patre gaudere debet privilegio fori. — 45. Filii Græcorum ritus Græci redeuntes ad convivendum cum Matribus Viduis gaudere debent privilegio fori. — 46. Fori privilegio gaudet ille, cui reservata fuit pensio Ecclesiastica. — 47. Etiam si non incedat in Habitu et Tonsura. — 48. Fori privilegio gaudent Protonotarii Honorarii, etiam si Ecclesiæ non inserviant, nec servitio alicujus Ecclesiæ adscripti sint, dummodo in habitu Clerici incedant. — 49. Fori privilegio gaudet de præstanti Laicus pro tempore, quo fuit Clericus. — 50. Fori privilegio

(1. Nomen Fori varias habet significaciones, aliquando enim in masculino, et aliquando in neutro genere ponitur. (2. Forum in neutro genere venit a *Ferendo*, sic dictum ab eo, quod controversiæ, et res venales illuc ferantur; M. Varro l. de *Lingua latina*; Calvin. in *Magno Lexico* verb. *Forum neutri generis*. Sic dicitur Forum Boarium, Piscarium, in quo boves, vel Piscei veneunt; Calvin. loc. cit. verb. *Forum Boarium*. (3. Forum in neutro genere magis proprie accipitur pro districtu, seu Territorio cujusque Judicis, intra quod in facinorosos animadvertere potest; l. *Pupillus* § *Territorium*, ff. de verb. *Signific.* et post Hostien. notat Abbas ad *Rubr. de Foro competentis*, et alii passim. (4. Forus in masculino genere describitur, « quod sit exercendarum litium locus a Fando dictus, sive a Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit. » Sic ad litteram in cap. *Forus* 10, de verb. *Signific.* Alio nomine dicitur Tribunal, ut l. 1, ff. de *Judiciis*. Item Auditorium, l. *contra Pupillum*, ff. de *Re judicat.*

(5. Forus competens idem est, ac Tribunal Judicis, cujus Jurisdictioni Reus, qui convenitur, subjectus existit. Notanter autem hæc definitio Fori competentis ponitur in ordine ad Reum, quia generale est ut Actor Forum sequatur Rei; cap. *Si Clericus* 5, de *Judice compet.* ibi: « Cum Actor Forum Rei sequi debeat; » et cap. *Cum sit* 8, eod. ibi: « Cum sit generale, ut Actor Forum Rei se-

gaudet Clericus, qui ante incarcerationem reassumpserat habitum. — 51. Equites Regulares quorumcumque Ordinum Militarium gaudent fori privilegio. — 52. Fori privilegio non gaudent illi, qui in accendendis lampadibus, et aperiendis Ecclesiæ portis deserviunt. — 53. Filius Cancellarii Curie Episcopalis non gaudet privilegio fori. — 54. Filius Tituli quondam Fiscalis Curie Episcopalis non gaudet privilegio fori. — 55. Filius, seu Nepos subdiaconi honorum Mensæ Episcopalis non gaudet privilegio fori. — 56. Filii Colonorum Ecclesiasticorum, etiam si sint partiarum non gaudent privilegio fori. — 57. Attamen filii Colonorum partiarum Mensæ Episcopalis, et alii de eorum Familia habitantes cum eisdem Colonis, et bona ejusdem mensæ colentes, gaudent privilegio fori, prout gaudent ipsi Coloni. — 58. Sæpe per *Forum* intelligitur *Judicium, Jurisdictio, Potestas*. — 59. Causa mixti fori quæ dicatur. — 60. Causa rixæ secutæ inter mulieres in ecclesia spectat ad gubernatorem. — 61. Punitus ab uno Judice super crimine mixti fori, non potest amplius regulariter accusari, et puniri in altero foro. — 62. Forum aliud dicitur externum, seu *Forum Fori*, et aliud internum, seu *Forum poli*, vel *conscientiæ* et quid sit utrumque? — 63. Forum internum aliud dicitur *Penitentia*, et aliud *non Penitentia*, et quod sit utrumque, et in quo differunt? — 64. Forum contentiosum unde dictum, et quando aliqua res dicatur ad ipsum deducta? — 65. Quomodo Forum Ecclesiasticum sit competens. — 66. Quando causæ civiles deduci possint ad Forum Ecclesiasticum. — 70. Causæ Ecclesiasticæ civiles. — 71. Criminales. — 72. Mixtæ. — 73. 77. Quæ personæ Foro Ecclesiastico subjiciantur in causis civilibus. — 78. Fori privilegium est immutabile. — 79. Forum Ecclesiasticum est preferendum. — 80. 81. Quando Clerici gaudeant fori privilegio. — 82. 85. Quando hoc privilegium in causis criminalibus amittant.

quatur, » et l. *ultim. Cod. Ubi in rem actio*, etc. (6. Si Reus habet multiplicem Forum, in electione Actoris est eum, in quo maluerit, foro convenire; Glossa in cap. *Delicti* 17, de *Foro competent.* vers. *Ubi Domicilium*; et l. *ult. Cod. Ubi in rem actio*, etc. id Probans in l. 2, § *Plane, si perfecta*, ff. de *Judiciis*, et sic communis Canonistarum, ut testatur, et tenet Fagn. *Licet* 20, de *Foro compet. num. 41*. (7. Reus coram incompetente Judice conventus, impune non comparet opponendo exceptionem fori, dummodo tamen hæc exceptio proponatur statim ab initio ante litis ingressum, ne reo sciente, et connivente procedatur ad alia, et sic videatur is in talem Judicem consensisse, ejusque personam approbasse, ac jurisdictionem prorogasse; l. *Consensisse* § 1, ff. de *Judiciis*, et patet hoc in l. *ultim. Cod. de Exceptionibus*, et amplius declarat Glossa in cap. *Exceptionem*, vers. *In dilatoriis*, de *Exceptionibus*, et Abbas ib. n. 11, et alii.

(8. Orta quæstione de competentia fori inter Judicem Ecclesiasticum, et Laicum, debet cognoscere Ecclesiasticus; sic habetur expresse in cap. *Si Judex* 12, de *Sentent. excommun. in 6*. Ubi Bonifacius VIII loquendo de malefactore, qui captus a Judice sæculari dicit se esse Clericum, decidit aperte et absolute, quod tunc cognitio hujus causæ spectat ad Judicem Ecclesiasticum, vocato tamen Judice sæculari, ibi: « Si Judex Laicus malefactorem captum detineat, et is se

Clericum dicens ad Curiam Ecclesiasticam petat remitti, vel curia ipsa eum tamquam suum Clericum, repetat a Judice ipsum inficiante Clericum, ac ob hoc minime remittendum, dubitationis hujusmodi, an scilicet sit, qui repetitur, Clericus, ad Judicem Ecclesiasticum (quia de re Ecclesiastica, et spirituali, vocato tamen Judice sæculari, vel alio, cui interest) cognitio pertinebit. » Ob quem textum adeo clarum datam conclusionem tenuit Rota dec. 3, alias 202, tit. de *sentent. excommun.* in novis; et tenent Canonistæ communiter cum Glossa *ibid.* in princ. ubi dicit, « quod talis Pontificia decisio est expediens, et utilis valde, et sæpissime practicitur: » et Covarruvias *Predict. Quæst.* cap. 33, circa init. recte monet, quod sit semper præ oculis habenda, ut Felinus in cap. *Pastoralis* num. 4, de *Rescript.* advertit Lectorem, ut hujus numquam sit oblitus; et sic Barbosa in cit. cap. *Si Judex* n. 3. Sperell. dec. 8. *Fori Ecclesiastici* num. 23 et dec. 24, num. 59, allegans alios; Julius Clarus lib. 5. *Practic. crimin.* § fin. quæst. 36, num. 21. Farinacius in appendice de *Immunit. Eccles.* num. 267 et lib. 1. *Praxis criminal.* quæst. num. 33, citans plurimos alios; Jason. in l. *Ex quacumque* num. 19. ff. *Si quis in Jus vocatus*, etc., post Anton. de Butrio in cap. *Cæterum* col. 4, de *Jud.* et Joan. de Imola *ibid.* subjungens, quod hoc communiter tenetur.

(9. Quamvis sint plurimi modi sortiendi Forum, quorum multos enumerant in cap. *Licet* 20, de *Foro compet.* Hostiens. num. 3, Joan. Andr. n. 2, et Fagnan. n. 27, et ad sexaginta duos recenset Speculator in tit. *competent. Judic.* § 1. (10. Tamen modi ordinarii, seu speciales sortiendi forum, sunt quatuor, qui expresse enumerantur a Gregorio IX, in d. cap. *Licet* 20, de *Foro competent.* ibi: « Ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei, de qua contra possessorem causa movetur, forum regulariter quis sortitur. » (11. Primus igitur modus specialis sortiendi forum est ratione delicti, in cujus enim Territorio quis delinquit; ejus jurisdictioni subjicitur, licet alias ei subjectus non sit; cap. *Postulasti* 14, et cap. *Licet* 20, de *Foro competent.* c. *De illis* 1, de *Raptoribus* et cap. *Placuit* 6, qu. 3, et Authent. *Qua in Provincia*, Cod. *Ubi de criminibus agi oportet*, ubi sic expresse habetur: « Qua in Provincia quis delinquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit, illic etiam Juri subjaceat. »

(12. Delinquens, si adhuc est in loco delicti, tam respectu Personæ, quam respectu honorum etiam alibi existentium, est de jurisdictione Judicis illius loci, in quo delictum fuit commissum, dummodo executio sententiæ, quo ad bona alibi existentia, fiat a Judice, in cujus Territorio bona condemnati existunt. Sic clare deducitur ex c. *Postulasti* 14, de *Foro competent.* ubi decimum habetur, quod, quando Clericus habet Beneficium in una Diocesi, in alia vero delinquit committendo crimen dignum privatione Beneficii, tunc Episcopus Diocesis, in

qua delinquit, sententiam pronunciet super Clericum privando ipsum Beneficio, et executio talis latæ sententiæ quoad privationem Beneficii fiat ab Episcopo, in cujus Diocesi Beneficium existit, ibi: « Respondemus, quod per Episcopum, in cujus Diocesi delinquit, sententia promulgari poterit in eundem, sed ab eo, in cujus Diocesi Beneficium obtinet, erit quoad illud executio facienda. » Et sic textum istum intelligit Glossa *ibid.* verb. *Executio facienda* præcis his verbis: « Et sic ille Episcopus, cui subest illa Ecclesia istius Clerici, privabit illum per sententiam ab alio Episcopo latam, » quam sequuntur Speculator tit. de *Executione sententiæ*, § *Nunc dicendum* num. 13, verb. *Item facit*, Abbas in cit. cap. *Postulasti* num. 7. Reiffenst. lib. 2. *Decretal.* tit. 2, num. 48, et sequent. et alii passim. Atque idem decimum habetur de simili in cap. *Romana* 1, de *Foro competent.* in 6, § *Contrahentes*, ubi unus Episcopus decernit missionem faciendam in bona, quæ reus contumax in alia etiam Diocesi obtinet, quam deinde ad illius requisitionem alter Episcopus exequitur.

(13. Si delictum sit inchoatum in Territorio unius Judicis, et finitum, seu consummatum in Territorio alterius, ut si quis existens in Territorio Alexandrino explodit sclopum, et occidat hominem existentem in Territorio Dertonensi, probabilius est, quod tunc tam Judex Alexandrinus, quam Dertonensis possit contra Reum procedere et si concurrant, detur locus præventioni; Ita Abbas in cap. *Licet* 20, de *Foro compet.* num. 25. Joan. Andr. in cap. *In obscuris* num. 5, § *Solutio*, de *Reg. Juris* in 6. Farinacius tom. 1. *Criminal.* l. 1, tit. 1, quæst. 7, num. 46, allegans plures alios, et iniquiens, quod hæc sit veritas; Reiffenst. lib. 2. *Decretal.* tit. 2, num. 75 et 78. Julius Clarus lib. 5. *Criminal.* § final. quæst. 38, n. 11, asserens ita communiter servari. Et ratio est, quia qui explodit sclopum ex uno Territorio, et occidat hominem existentem in alio, in utroque Territorio delinquit, et utrumque Territorium ex tali delicto læditur, seu injuriam patitur, nam etiam ille jam noxius est, qui mittit lanceas, et sagittas in mortem; cap. *Sicut noxius est* 1, de *Præsumptionib.* ibi: « Sicut noxius est, qui mittit lanceas, et sagittas in mortem, etc. » adeoque, ne crimina maneant impunita, merito utrique Judici tribuitur jurisdictio in solidum. (14. Fateor tamen, quod probabile etiam est, quod solus ille sit competens Judex, in cujus Territorio consummatum est delictum, et nullatenus ille, in cujus Territorio est inchoatum; Sic tenent Bartolus in l. *Libellorum* n. 7, ff. de *Accusat.* Felinus in d. cap. *Licet* 20, num. 14. Aretinus *ibid.* num. 7, quorum sententiam approbat Fagnan. *ib.* num. 3, ac probabilem censet Pirhing lib. 2. *Decretal.* tit. 2, n. 28.

(15. Secundus modus specialis sortiendi Forum est ratione Contractus, at si quis in alieno Territorio per se, aut per aium contrahat, vel contraxisse fingatur, eo quod in tali loco sese soluturum promiserit, possit

ibidem super tali contractu conveniri; etiam si domicilium ibi non habeat, cit. cap. *Licet* 20, de *Foro compet.* l. *Hæres absens*, et l. *Omnem obligationem*, ff. de *Judiciis*. (16. Contractus tamen non accipitur hic stricte, prout esse dicitur ultro, citroque obligatorius, ut emptio, venditio, societas, juxta textum in l. *Labeo*, ff. de *verb. Signific.* sed latissime pro omni eo, quod obligationem inducit, etiamsi obligatio nascatur ex parte unius tantum; ut in l. *Omnem obligationem*, ff. de *Judiciis*, et l. *Hæres absens*, ff. eod. et secundum Glossam in cit. cap. *Licet* vers. *Ratione contractus*, Abbas. ibid. num. 29. Hostiens. ibid. num. 4. Butr. ib. num. 11. Fagnan. num. 5.

(17. Dantur tamen plures casus, in quibus contrahentes nequeunt conveniri in loco contractus. Primo, quando inter partes contrahentes conventum fuit, ut non in loco contractus, sed alibi v. g. in loco domicilii teneantur respondere, si forsitan in posterum lis oriri contingat super talem contractum, prout limitatur cit. l. *Hæres absens* § *Proinde*, ff. de *Judiciis*. Ut enim statuitur in *Regula* 85. *Juris* in 6. « Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur. » (18. Secundo, quando quis tamquam Advena, et Viator contrahit in aliquo loco mox inde discessurus, et hoc scitur ab altera parte contrahente, tunc enim non tenetur ibi respondere nisi voluerit, sed habet jus revocandi domum, seu ad forum sui domicilii; cit. l. *Hæres absens* § *Proinde*, ff. de *Judiciis*, ubi datur hæc ratio, quia « durissimum est quotquot locis quis navigans, vel iter faciens delatus est, tot locis se defendere. » Sic enim a suscepto itinere, aliisque negotiis suis magno cum damno posset sæpe sæpius impediri. (19. Hoc autem est intelligendum de vero Advena, seu Viatore, qui habet alibi certum domicilium, non vero de Vagabundis per mundum nullibi certum domicilium habentibus, quia isti possunt conveniri, non solum in loco contractus, sed ubicumque reperiantur, nec alioquin Creditores jus suum perdant: Glossa marginalis in c. *Licet* 28, de *Foro competent.* vers. *Aut domicilii*, et Glossa in l. *Hæres absens* § *Proinde* verb. *Debetur*, ff. de *Judiciis*, quam Glossam sequitur Bartolus ibidem § *Quæro quid si Debitor*, Joan. Andr. in cit. cap. *Licet* 20, de *Foro competent.* num. 11. Fagn. ibid. num. 26. Felin. ibid. num. 20. Pirhing. lib. 2. *Decr.* tit. 2, num. 15. Reiffenstuel ibid. num. 46 et 87. Sanchez lib. 3, de *Matrimon.* disp. 25, num. 3, et alii passim. Et id desumitur ex l. 1. Cod. *Ubi quis de Curiali* etc. et l. 1. Cod. *Ubi de crimin.* agi oportet. juncta Glossa ibid. in verb. *Reperiantur* de talibus Vagabundis illud vulgatum allegante: « Ubi te invenero, ibi te judicabo: » (20. Tertio, quando agitur de contractu dotis, quia pro hoc contractu, istud habetur speciale, quod non inspicitur locus contractus, seu in quo instrumentum dotis factum est, sed locus, ubi vir habet domicilium et in cujus domicilii in etiam ipsa mulier per conditionem matrimonii est itura, eo quod sequatur fo-

rum mariti; l. *Exigere* 65, ff. de *Judiciis*, et ibi Glossa, et Doctores communiter. (21. Excipe tamen, nisi partes contrahentes aliter inter se convenerint juxta Regulam 85. *Juris* in 6, traditam supra num. 17.

(22. Tertius modus specialis sortiendi forum est ratione domicilii; cap. *Ex parte* 15, et cap. *Licet* 20, de *Foro compet.* et l. *Cives*, de *Incolis* lib. 10, et hic proprie dicitur verus et naturalis forus, ut tradunt in d. cap. *Licet* Innoc. num. 3. Butr. num. 16. Felin. num. 23. Fagn. num. 9, et alii passim. (23. Hinc appellatione sue *Diæcesis* in dubio intelligitur *Diæcesis* domicilii, seu habitationis, non autem originis, vel alia; Glossa singularis in c. *Statutum*, verb. *Unam dictam*, de *Rescript.*, in 6, asserens sic servari in Curia Romana; Felin. in cit. cap. *Licet* 20, de *Foro compet.*, num. 22, citans alios; Fagnan. ibid. num. 10. Compostell. in cap. *Nonnulli* in 4. Glossa de *Rescript.* Speculat. in tit. cit. § 1, circa *princ.* Reiffenstuel loc. cit. n. 25, et alii. (24. Sic etiam appellatione *subditi*, seu *subjecti* in dubio venit dumtaxat *subditus* vel *subjectus* ratione domicilii; arg. l. *Cives*, Cod. de *Incolis* lib. 10, et sic Glossa in cap. *Nuper*, verb. *Absolutio*, de *sentent. Excomm.*, et Glossa in Clement. 1. verb. *Subditus*, de *Foro compet.*, quam ibi omnes sequuntur, teste Fagn. in cit. cap. *Licet* n. 10.

(25. In foro domicilii, potest quis conveniri etiam pro delictis alibi commissis; l. *Sciens*. Authent. *Quæ ubi in provincia*, Cod. *Ubi de crimin.* agi oportet; ac pro contractibus alibi gestis; cap. *Delicti* 17, de *Foro compet.* et super rebus alibi sitis; l. *ultim.* Cod. de *prescript. long. temp.* Et sic tenent Abbas in cap. *Si quis Clericus* 1. n. 6. in cap. *Cum contingat* 13, et cap. *Licet* 20, num. 38, de *Foro compet.* Felin. in cit. cap. *Licet* num. 23. Fagn. ibid. num. 13. Reiffenst. loc. cit. n. 28, et alii. (26. Judex domicilii potest procedere contra subditum, nedum præsentem, sed etiam absentem, et ubicumque existentem; nam potest ab ipso citari quoad omnes effectus, scilicet ut procedat contra eum, vel ad missionem in possessionem, vel ad condemnationem, si status causæ patiat, quia ubicumque sit, ejus subditus remanet, et citatio decernitur in proprio Territorio ipsius Judicis, licet nuntius exequatur extra Territorium; nam actus nuntii citationem exequentis, ut citatus futuræ litis notitiam habere possit, est nudum dumtaxat ministerium executionis, et non actus jurisdictionis, et ideo potest exerceri extra Territorium, ut notatur in cap. *Novit*, de *Offic. Legati*, et in cap. *Romana* § *Contrahentes*, de *Foro competent.* in 6. et in l. *Omnes*, verb. *Verum si appar.*, Cod. de *Episc. et Cler.*, et tenent Hostiens. et Joan. Andr. in cap. 7, de *Raptor.* Abbas in cit. cap. *Licet* 20, de *Foro competent.* Fagnan. ibid. num. 12. Reiffenstuel loc. cit. num. 30, et alii.

(27. Habens domicilium habitationis æqualiter in duobus locis, eo quod utrobique æqualiter per anni decursum commoretur, tunc in utroque loco censetur sortiri forum, et utrobique potest conveniri; Colligitur ex

cap. *Ex parte* 15, de *Foro compet.*, et tenent Glossa ib. verb. *Andegavensi*, Abbas ib. num. 8, et alii passim Doctores, teste Reiffenstuel loc. cit. num. 42. et concordat textus in l. *Labeo*, et l. *Assumpto* § fin. ff. *Ad municipalem*. (28. Mutatio domicilii non perimit instantiam coram Judice illius domicilii jam cœptam, textu expresso in cap. *Proposuisti* 19, de *Foro compet.* ibi: « Proposuisti nobis, quod quidam subditus tuus ad petitionem ejusdam adversarii sui a te legitime citatus ad causam, quia postmodum jurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit iudicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa jus revocandi forum non habet quasi ab alio jam præventus. » Unde clare patet ex textu, quod legitime citatus coram hujusmodi Judice citante causam prosequi debet, non obstante quod post citationem mutaverit domicilium: Communis.

(29. Quartus modus specialis sortiendi forum est ratione rei de qua contenditur. Unde coram illo Judice, in cujus territorio res litigiosa existit, vel illius possessio habetur, potest quis conveniri, textu expresso in cap. *Licet* 20, de *Foro compet.*, ibi: « Ratione.... rei de qua contra possessorem causa movetur.... forum regulariter quis sortitur, » et concordat cap. *Sane* 3, eod., et l. 1, cum seq., cod. *Ubi in rem actio*. (30. Et hoc procedit, sive res sit immobilis, sive mobilis, l. *Quod legatur* § *Si autem*, ff. de *Foro compet.* et l. ult. Cod. *Ubi in rem actio*. Ita Glossa in cit. cap. *Licet* 20, de *Foro compet.* verb. *Contra possessorem*, Innocent. ib. num. 1. Hostiens. n. 5, Fagnan. ibid. num. 20, et alii passim.

(31. Præter quatuor supra recensitos speciales modos sortiendi forum, datur quoque alius modus generalis sortiendi forum, videlicet ratione communis Superioris in Romana Curia. Roma enim communis est Patria; l. *Roma*, ff. *Ad municip.*, et Ecclesia Romana omnium Ecclesiarum Mater est et Magistra; cap. *Licet* 20, de *Foro compet.*, et Papa est Judex ordinarius singulorum; cap. *Cuncta per mundum* 9, q. 3. Unde quilibet non solum Clericus, sed etiam Laicus potest super Ecclesiasticis ac spiritualibus causis conveniri coram Summo Pontifice, seu in Curia Romana, ibique conventus non habet jus declinandi forum, licet ibi non delinquat, nec contrahat, nec habeat domicilium, seu possessionem alicujus rei; Est communis, et est sic expresse decisum in cap. *Licet* 20, de *Foro compet.* ibi: « Licet ratione delicti, seu contractus, aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, Episcopus vester apud Sedem Apostolicam conventus non fuerit, quia tamen omnium Ecclesiarum mater est eadem, et Magistra, rite compelli potuit, ut ibi suis adversariis responderet. » Papa enim, ut jam fuit dictum, est Judex ordinarius singulorum; cit. cap. *Cuncta per mundum* 9, q. 3, et totus Mundus est sibi Territorium quoad causas spirituales, ut patet ex auctoritate per Christum sibi deman-

data *Matth.* 6, ibi: « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis, » et concordat cap. *Duo sunt* 10, et cap. *Si Imperator* 11, dist. 96, et cap. *Solitæ*, de *Majorit. et obedient.*, cum similibus.

(32. Neque dispositioni dictæ Dēcretalis in cap. *Licet*, qua deciditur, ut quilibet in Romana Curia conveniri possit super Ecclesiasticis et spiritualibus causis, fuit quidpiam derogatum per Conc. Trid. sess. 24, c. 20, de *Reform.*, quamvis ibi statuerit, quod « causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi Beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur; atque omnino saltem infra biennium a die motæ litis terminentur. » Sub illis enim verbis: « Coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoscantur, » non solum, ut optime respondet Fagn. in cit. cap. *Licet* num. 25. comprehenditur Ordinarius loci domicilii, sed etiam Ordinarius cujusque loci, ubi quis ex Juris Præscripto forum sortitur, sive id contingat ratione originis, vel Beneficii; cap. *Cum nullus*, de *Temp. ordin.* in 6, sive ratione delicti, contractus, ac rei litigiosæ; cap. 1, de *Privileg.* in 6., et consequenter comprehenditur etiam Ordinarius loci Romane Curie, cum in ea quilibet non solum Clericus, sed etiam Laicus in causis Ecclesiasticis et spiritualibus forum sortiantur, et Papa sit Ordinarius singulorum, ut dicit Glossa final. in c. *Licet* 20 de *Foro competent.*, et totus mundus sit ei territorium, ut jam dictum est supra n. 31. per Jura ibi citata.

(33. Fori privilegio quinam gaudeant, vide verb. *Clericus*, art. 2. (34. Per privilegium fori intelligitur illud, vi cujus quis exemptus est ab omni potestate et jurisdictione fori sæcularis, adeo ut non possit amplius a Judice sæculari in iudicium trahi, carcerari, vel puniri, sed dumtaxat a Judice Ecclesiastico, ut colligitur ex cap. *Si imperator* 11, dist. 96. et sic tenet communis Doctorum. (35. Hoc fori privilegio gaudet Clericus, non obstante irregularitate contracta ob homicidium; Sac. Congreg. Immun. in Alatrina 13. Augusti 1658. lib. *Decret. Rocci* pag. 112. (36. Etiam si Clericus non habeat requisita S. Concil. Trid. remittendus est Episcopo illum repetere volenti; Sac. Congreg. Immun. in Tudertina 12 Septembr. 1645. in lib. 3. *Decr. Pauluc.* pag. 262. (37. Clericus gaudet privilegio fori quoad personam, etiamsi post delictum et processum Clericatum assumpserit; ead. Sac. Congreg. in Regien. 28. Maii 1626. lib. 1. *Decret. Paul.* pag. 2. et in Januen. 16 Decembr. 1642. lib. 3. *Decret. Paul.* pag. 191. (38. Clericus successor Laici non ligatur instantia inchoata coram Judice Laico; ead. Sac. Congr. in Nullius 27 Septembr. 1632. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 140. et in Hyracen. 12 Octob. ejusdem anni 1632. lib. 2. *Decret. Paul.* pag. 142. (39. Clericus provocans Fratrem Laicum ad divisionem, convenire debet coram Judice Laico, ut Judice Rei conventi; ead.